

dicta, ad gryphem aureum in Carinthiaca. Ad Gallum album in fossa profunda, ad globum aureum in foro aulae. Ad Hircum coeruleum penes portam Stubensem, ad Euclionem alias *Rüssen-Pfenning* ad rubram turrim. Ad tres lepores in Carinthiaca, ad Leonem aureum ibidem, ad Leonem album in *Salzgriess* / ad lupum Candidum in foro veteri vulgò *Gleischmarck* / in aula *Matschakeriana*. Ad pavonem aureum in Carinthiaca, ad portam nigram penes domum Provinciale, ad pomum aureum in platea angulus porcorum dicta, ad rosam albam in platea pistorum, ad rosam auream in S. Joannis, ad stivam auream in platea Clavigerorum, ad solem aureum è regione rubrae turris, ad stellam albam penes 7. libros, ad tres secures penes Monasterium Scotense, ad Satyrum in Carinthiaca. Ad SS. Trinitatem in platea Judæorum. Ad ursum aureum in foro lanionum veteri. Ad ursum nigrum *auff dem Ludweg* / ad venatorum cornu aureum penes Sanctam Dorotheam. Sunt quidem plura adhuc Viennæ diversoria, quia tamen præfatis & commoditate & celebritate non paria, hic illis

enumerandis superfedemus. Et quoniam de domibus illis, in quibus sanis alioquin, & bene valentibus prospicimus corporibus, differimus, restat, ut & illas recensamus, in quibus ægroti refocillentur, aut restituantur, quem in finem varia per Urbem necessariis omnibus promorborum diversitate instructa, erecta sunt pharmacopœia, seu Apothecæ, & quidem præter illas, quas suis in Collegiis, aut Monasteriis Religiosi, propriis in domibus Domini alii in usum proprium conservant, aut in aliorum commodum instituerunt, præcipuè magis, & notæ numerantur sequentes.

Ad nigram aquilam penes aulam Imperatoris. Ad Angelum album non procul à porta Palleriana. Ad Æthiopem è regione domus Justitiæ, quam Schronam nuncupant. Ad cancrum rubeum in foro alto. Ad Coronam auream in fossa. Ad cervum aureum ibidem. Ad Ciconiam candidam in Cœmeterio S. Petri. Ad Gryphem aureum è regione Aulae Episcopalis. Ad Leonem aureum è regione S. Stephani. Ad S. Spiritum in Hospitali Civico. Ad Tygridem in Carinthiaca. Ad Ursum nigrum in *Lubweg*.

## TITULUS V.

### *Urbis Plateæ, & quæ in iis spectanda.*

**T**riumphabat olim vetus Roma, quod tot, & tanta complexa sit suo in gremio fora, & compita, tot vias, ac plateas, per quas victrices de hostibus Duces magnificè pompâ inveheret, & gloriosas aquilas lætitudinis Quiritibus ostentaret: quam gloriam ne soli concederet Vienna Romæ, amplas & ipsa per Urbem plateas, ampla adornavit compita, eaque quasi semper triumphatrix raro spectaculo ardentibus per noctem Lichnis instruxit, ut tot in iis arderent accensæ Lampades, quot cœlum sydera exornarent, ut vel in hoc Romano fastui excitaret invidiam, & quod Urbi illi festivum erat, huic fieret quotidianum. Dividitur autem Urbs in partes quatuor, quæ potissimum à præcipuis Viennensis Civitatis portis suum sunt nomen sortitæ, in his plateæ numerantur plurimæ, fora tam majora, quàm minora non pauca, quæ pleraque à rebus inibi venalibus, situ, novitate, aut domo quapiam sunt appellata: partibus singulis, singuli præstant præfecti, quorum officium est, hostiles impetus, incendia, aliæque incommoda avertere, & partium suarum commodum, & utilitatem promovere, quam ob causam Centuriones sibi habent adjunctos, qui per milites suos noctibus, æquè ac diebus servant vigilias, lustrent plateas, lites omnes, & rixas componant, ex quibus tantum, quem videmus ordinem, & optimam Urbis compositionem oriri est necesse. Ut autem quod titulo isto promittimus æquamus par-

tes singulas, in quas Urbs tota divisa est, ordine debito perstringemus.

Pars prima à porta sibi cognomine Stubensis dicitur, ac plateas continet, ordine, quo referimus, sequentes: à rubra turri ad domum Pragensem, quam salinariae rei Præfectus incolit, catorum est semita, hinc ad forum altum Judæorum Plateola à copia habitantium olim inibi Hebræorum dicta extenditur, à foro alto ad lanionum officinas via lucida *Lichtensteg* / sequitur hanc coquorum usque ad crucem auream. Mercatorum usque ad cellarium à mulso nuncupatum, è regione Lanionum, in *Lubweg* locus dicitur, ubi equi conducticii reperiuntur, hinc descendendo ad anserem aureum forum lini à venali lino dictum ingredi-mur, post quod suo ordine venit platea *auff den Steig* vocata, quæ ad rubram turrim excurrit, *Wollzeil* ad domum mercatoriam quam ab acri angulo *zum Scharffen Eck* nominant, extenditur, quam Stubensis excipit, Pistorum anterior dicitur ea, in qua domus ab olente verme visitur, inferior verò, quæ ad Collegium PP. Societ. protenditur, ad S. Crucem parva, & angusta plateola est, quæ ab hac ipsa aula nomen suum desumpsit: excipit hanc ab albo bove platea major, forum vetus Lanionum appellatum, ex parte altera, à domo quadam Civitatis in præfato foro posita ad nigram aquilam usque protrahitur platea, quæ vulgò porcorum angulus (*Sau-Winkel* dicitur) Sanctæ Bar-  
baræ



baræ platea penes Cæsareum Convictorum. Collegium angusta est, major illa, in qua celebre est RR. PP. ex ordine S. Dominici Prædicatorum Cœnobium, quæ idcirco forum Prædicatorum appellatur: claudit tandem partem hanc plateola figulorum, quæ ad nigram aquilam longitudine suâ excurrit.

Altera pars à Carinthiaca porta nomen traxit, hâsque quas subnectemus, sub se plateas continet: sumit autem initium à Gallinarum plateola penes forum altum, ubi cancri venales exponuntur, & in nominata proprio vocabulo *Bluger Strassen* terminatur, quas inter numerandæ veniunt, maris superiorum platea vulgò *Taschen Gâssel* penes viam lucidam, à læva fori alti (venduntur hîc omnia ea, quæ quotidiano inserviunt usui (Tuchlauben, Cœmeterium S. Petri; ubi alatilia vicinis ex provinciis advecta, summa in copia distrahuntur, forum Rusticum, sic à rebus rusticis, quæ ibi divenduntur, appellatum. Corona Regia (Land Cron) Monetaria platea, ad Cæruleum Dominum DEUM, *Brandstatt* / quod à combustis olim ædibus servavit nomen, plateola ad rubram Crucem, & Scholastica à dextris, *Kumpff Gâssel* / novus mundus, ad S. Jacobum parva plateola, Lorariorum, cum quadam minore sibi conjuncta (*Sûltz Gâssel*) Platea à cantando nuncupata, ex utraque parte protensa ad viridem anchoram, lactea platea, Cœmeterium S. Stephani, in vetere foro equorum, ubi lignea vasa venduntur à læva, uti & Carinthiaca à sinistris ad portam usque, *Weichenburg / in Dâcken / in Steig* penes domum officii (*Umbthaus*) platea ad portam cœli, ad durum lapidem, seu *Bauchenstein* / ad ferreum pyrum, S. Joannis & S. Annæ plateæ.

Tertia pars in quam Urbs dividitur, quam ob caulam non constat Wübmeriana dicitur, & à foro Coriario, seu à septem domibus tenet principium, suoque ordine plateas numerat, Tinctorum, forum Judæorum à Castaneis ibi venalibus celebre, Aulam à Ducum Austriæ Regia, quam olim ibi habebant nominatam, & à binis per annum, tempore Pentecostes, & D. Catharinæ nobilissimis nundinis dilaudatam, Judæorum, seu currentium ad serpentem aureum. Seizerianam, Schulterianam plateolam. A dextris forum altum versùs ad partem hanc revocantur Wildwerchiana, & pars infra Tuchlauben appellata usque ad Seizerianam aulam, locus infra Ehippiarios, & Umbilicarios (*Spängler*) fossa profunda, hinc deorsum à læva *Haidenschuß* / arcuariorum & claviariorum à sinistris ad rotulam, turris Paulina: præterea huc revocantur plateolæ Pater noster, S. Petri è regione aulæ Seizerianæ, Cœmeterium S. Petri post aurifabros usque ad aulam Freysingerianam, forum equorum, Rosa rubra penes *Stoek in Eysen* / fossa ubi præter colossum SS. Trinitatis, de quo alibi, visu dignus est Ele-

phas ille in domo quadam ad coronam auream incisus, quem ob ingentem suam magnitudinem anno 1552. Maximilianus Bohemiæ Rex ex Hispaniis dono accepit, populo spectandum exhibuit, & suppositâ tam Latinâ, quàm Germanicâ inscriptione huic domui insculpi voluit: fabrorum plateola: forum Carbonarium à læva ad S. Michaëlem, Superior Preineriana, cum inferiore, quam rubram, seu *Rothgassen* nuncupant, platea item ad S. Dorotheam, vetus porcorum forum: platea speculorum post Sanctam Dorotheam, Rosarum à bove aureo ad tres Reges protensa, funificum platea penes tres Reges, *Stoek in Eysen* / Carinthiaca à dextris usque ad portam, claudit partem hanc forum novum.

Ultima pars Civitatis Scotensis appellata suo in districtu recenset *Bienmarck* usque ad forum altum à dextris, & ipsum ex eadem parte altum forum usque in aulam montanam (*Berg-hof*) arenam Salinariam (*Salzgrieff*) gradus Piscatorum, & fontem piscium (*Fischbrunn*) complectitur deinde Wildwerchianam à dextris ad pontem altum, unâ cum ipso hoc ponte, gradus B. V. In arena salinaria verò totum spatium deorsum à loco *beym Wolffen in der Au* dicto. Aurifabrinam, è regione armamentarii navalis in exilio nominatam, fossæ profundæ partem dextram usque ad Vindicias (*Freyung*) & hinc usque ad Balneatorum plateam, aliam præterea currendo nuncupatam (*Kenngassen*) *Einfalt* / & Rosarum plateas unâ cum anteriore *Schenckstrassen* à domo Principis Montecuculi sursum, continet præterea *Anger* / alteramque *Schenckstrassen* / usque ad domum Principis de Liechtenstein protensam, Cœmeterium ad nigram portam, plateolam Scramineam, & majores alias Domorum, & palatum (*Schaufflgassen*) post S. Pancratium plateas Claviariorum, & forum Carbonarium à dextris usque ad aulam Cæsaream, & desinit pars tota in *Walchstrassen* / & foro Lini.

Et quoniam partibus his subordinata sunt ipsa Suburbia, æquum esse judicavimus, ut ad titulum hunc, quod parti cuivis respondet, reducamus, ac à Stubensi, cujus primâ vice meminimus inchoando, hæc sub se continent viam Regiam, Alutarios, inferiorem *Wörth* & Leopoldinam, ad Carinthiacam refertur cum *Widen* / quidquid torrens Vienna dictus à sinistris alluit; Wübmerianæ parti subjacet fossa lutea (*Laimbgruben*) & quod à dextris Viennæ fluvii situm est, *Schöff* / Vicinia ad B. Virginem Auxiliatricem, & Spitelomontium, *Spiriberg*. Reliqua videlicet in monte, & agris Scotensibus sita, Picarum platea, *Währinga superior*, *Wörth* / Rossavia, Aurigarum, Servitarum, Hortulanorum plateæ, uti & illa in qua Judæorum est sepultura, ac rivum versùs à picis dictum, cum Spitelovia Scotensi Quadranti sunt adscripta.